

9786

No: 830. a
19
13
1712

A M I
GENEROSSIMA ET VOBISISSIMA
AES, ut duplo tempore, loco, et iure
quaque buplicis, oge publicis, et
dum debet, et debet
Q. D. B. V.
CONSENSV
ILLVSTRIS ORDINIS
JCTORVM,
GENEROSISSIMIS AC NOBILISSIMIS
CIVIBVS ACADEMICIS
MORE PER MANVS TRADITO
SVB AVSPICIIS
PROFESSIONIS IVRIS
EXTRAORDINARIAE,
LECTIONES PVBLICAS PRIVATASQUE SIGNIFICAT,
ET
DE VSV HISTORIAE IN IVRIS PRUDENTIA
PRIVATA
BREVITER DISSESTIT

IO. GODOFR. HARTVNGIVS,

IVRIVM LICENTIAT. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.

I. N. I.

Dixit. Vi mos ab antiquis temporibus in Academiis inuauit, GENEROSISSIMI NOBILISSIMI QVE CLIVES, ut quibus publicum docendi munus collatum, hi sub ipsis Professionis auspiciis aliquo programmate et lectiones publicas priuatasque significare Vobis, et aliquo de argumento Professioni congruo differere soleant: Hic me postquam Serenissimo Potentissimoque Regi nostro ac Principi Electori clementissime placuit, Professionem Juris Extraordinariam mihi demandare, ad hoc alterum programma edendum commouit. Memineritis enim, COMMILITONES, similis generis scriptionis, quam haut ita pridem euulgauit, in qua cum de illa quaestione, an Jus Ciuiile in artem redigi posuit, tractauit, et mean sententiam exposuit: tum de proposito adjeci et conatu id re ipsa paeſtandi, quod effici non inutiliter posse uerbis ante declaraueram. Cuius rei cum et iam sim memor, et in posterum non immemor fuero, in praesenti non inidoneum differendi argumentum uisum est de adiumentis, quae Priuata Jurisprudentia ex Historia habet. Postquam enim in Philoſophicis quoque Disciplinis legendi disputandique ueniam ab AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA nauctus sum, atque id haec tenus pro uirili egi, ut eas partes Philosophiae, quae cum Jurisprudentia aecto nexus cohaerent, in primisque Historiam, cum ea coniungerem: non incongruum erit in praesenti de usu Historiae in Jurisprudentia Priuata aliquantum dispicere. Equidem de Jurisprudentia Publica res expedita est, usum Historiae in ea tantum esse, ut qui eam adimere uoluerit, solem de mundo iustulisse videatur: sed ad Jus Priuatum Historiarum cognitionem non solum utilem, sed et necessariam esse, hoc est, de quo dubitare non nemo poterat. Neque uero iam quidem ea de re fuse agere aut chartae permittit angustia, aut ipsius rei amplitudo: Sed per summa capita eunt pleniorem tractationem futuris temporibus reseruabimus.

In uniuersum Historiae usus in Jurisprudentia Priuata partim in externis Juris, seu in eius origine exponenda, partim in-

internis, seu in ipsis legibus explicandis conspicitur. In externis tanto maior est et manifestior, quanto magis constat, illam partem iuris totam ex Historia desumptam esse. Vt autem Jus Privatum, quo in Germania utimur, non unum est, sed aliud domesticum, aliud ex peregrinis oris ad nos translatum, Romanum, Pontificium, Feudale: sic diuersa diuersorum iurium origo tradi et solet, et debet, quae omnis ex suis fontibus, quos Historia continet, explicanda. Hoc amplius Romani iuris cum fata et periodi, ut ipsius Reipublicae, fuerint, quibus effloruit, defloruit, refloruit: in illis omnibus et distinguendis et exponeendas illustrandisque permagnum Historia usum praefstat. Neque uero nullus est Historiae usus in ipsis legibus explicandis, siue rursum externum uerborum corticem et emendatiorem electionem, siue internam vim ac sentum species. Sane ALCIA-TVM, CONTIVM, CVIACIVM, RAEVARDVM, TVR-NEBVM, ZASIVM, GIPHANIVM, HOTOMANNVM, MANVTIVM, AVGVSTINVM tot corruptas leges ex monumentis et subsidiis historicis restituisse ac explicasse, antinomiarumque nodos dissoluisse, non potest ignorare, nisi cui scripta illorum virorum penitus ignota sunt. Conducit autem in uniuersum Historia, tam externis, quae dixi, Juris Privati, quam internis spectatis, partim ad falsa redarguenda, partim ad ueriora afferenda. Falsa uel ab ipsis Jctis Romanis tradita fuerunt, uel ab interpretibus, in ipsis etiam iuris capitibus historicis.

Exemplo possunt esse ea, quae POMPONIVS Jctus in lege 2. de Origine Juris scribit; exactis regibus Populum Romanum iterum incerto magis iure et consuetudine, quam lege scripta prope per uiginti annos usum esse: Postea placuisse, publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges a Graecis ciuitatibus, et ciuitas fundaretur legibus: quae in tabulas eboreas prescriptae fuerint. Enim uero primum illud spatium uiginti annorum longe breuius esse, quam ueritas historica patiatur, et ad 60. annos ascendere, ex Chronologia LIVII et DIONYSII et Fastis Capitolinis manifeste constat. Deinde ea, quae de Decemviris se-

*Paratit. T.
de O. f. n. II.*

in Specul.

*Aur. P. III.
p. 18.*

L. III. c. 31.

*Antiquitat.
Rom. L. X.*

L. III. c. 57.

*L. X. circa
finem.*

*in Spec. Aur.
d. p. 18.*

in Chronicis

quuntur, siue cum WESENBECIO, MARANTA et aliis in eum sensum accipias, ut decem constituti uiri fuerint, et omnes in Graeciam missi ad describendas leges et noscenda instituta Graecarum Ciuitatum: siue sic interpreteris, ut decem constituti quidem uiri fuerint, sed ex illis non nisi tres in Graeciam missi, nempe ut uocat LIVIVS, Sp. Posthumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus: utrumque narrationi fidei que optimorum Historicorum non exacte conuenit, licet posterior explicatio magis ad eam et proprius accedat. Nam LIVIVS pariter atque DIONYSIVS, Scriptores omni exceptione maiores, narrant, primum tres illos uiros in Graeciam missos, tum uero tertio anno post, cum rediissent, decemuiri legum ferendarum cauſa constitutos, inter eosque illos ipsos uiros, qui Graecas leges attulerant, fuſſe. Denique nec LIVIVS, nec DIONYSIVS eborearum tabularum meminit, sed alter simpliciter in aes incisas Leges XII. tabb. alter *σύλαις χαλκᾶς*, in columnis aereis scribit. His talibus erroribus ipsorum JCTorum Romanorum addere et interpretes sua commenta solent, ex quibus ad hunc locum ineptissima illa et ridicula fabula pertinet de congressu sapientis Graeci cum stulto Romano, quam ACCVRSIVS tradidit, ut illud maxime mirum uideatur, non defuisse, qui pro uera Historia habuerint, illudque ingens Adiutorum lumen, ROBERTVM MARANTAM fidem ei adhibere non dubitasse. Neque uero circa illam periodum Iurisprudentiae Romanae, qua refloruit, desunt, quae falsa esse aut minus certa Historia docet. Communis est interpretum opinio, repertas sub Lothario Saxone Imperatore in excidio urbis Amalfitanae Pandectas prima auspicia restituendi iuris Romanii in occidente praebuisse. Iam si scriptores synchronos conferas, OTTONEM FRISINGENSEM et ABBA TEM VRESPERGENSEM, de bello quidem inter Lotharium Imperatorem et Rogerium Siculum gesto uaria legis, sed de inuenito illo cimelio nihil, quod si uerum esset, non credibile est ab illis auctoribus silentio praetermissum fuſſe, quorum alter doctus pro suo tempore scriptor fuit, alter rudior quidem, sed

sed fide non minus dignus, qui ipse quidem tempore Lo-
tharii nondum in uiuis fuit, sed nec tamen ita multo post uixit,
et quae ante eum contigerunt, ex synchronis et optimis fon-
tibus hausta, ipsem, licet imprudenter, prodidit, sic saepe
scribens de rebus, quae uel centum annis ante eum contigerunt,
quasi ipse iis interfuerit. Cuius testimonium cum absit,
tanto magis rem dubiam facit, quod de periodo reflorescen-
tis Iurisprudentiae Romanae, quamvis certo respectu non sa-
tis accurate, agat, restitutum afferens Ius Romanum tempo-
ribus Lotharii, studio Vuernerii (quem uulgo Irnerium uo-
cant) ad petitionem Mathildae, atque sic coniungens Lo-
tharium cum Mathilda, qui aliquot annorum interualllo disiun-
eti fuerunt, secundum ea, que mox dicentur. Sin autem re-
centiorum scriptorum auctoritatem, quatenus ueterum mo-
numentis non repugnant, adspersnendam non esse censeas,
nescio an CAROLO SIGONIO afferenti id quod dictum de
repertis Pandectis, postponendum sit IOANNES AVEN-
TINVS, qui non solum de repertis Pandectis in excidio ur-
bis Amalfitanae, et Pisanis in praemium nauatae Lothario
contra Rogerium operae bellicae relictis filet, sed et quod
ABBAS ab Irnerio sub Lothario restitutum Ius Romanum
ait, hoc multo ante ab eodem, quem Wernherum uocat,
factum scribit rogante atque iubente Mathilda, adepto uel
nondum uel uix imperium Henrico V. quem anno demum
regni sui decimo nono, imperii uero decimo quarto, ut lu-
culerter consignauit GOTFRIDVS VITERBIENSIS, extin-
ctum, Lotharius except: maxime, cum VRSPERGENSIS
etiam Mathildae et petitionis eius meninerit, atque id dun-
taxat male fecisse uideatur, quod imperante Lothario pro-
tractum ex tenebris et squalore Romanum Ius ab Irnerio scri-
perit. Nam per Mathildam AVENTINVS nullam aliam
intelligit, quam illam, ut ABBAS uocat, nobilissimi ac ditissi-
mi Italici Marchionis Bonifacii filiam, et quod addit AVEN-
TINVS, neptem Diethboldi, proneptem Ottonis, Welpho-
nis II. Ducus Boiorum, uxorem, (quod et ipsum VRSPER-

*d. R. I.L. XI.
ad A. 1137.
Annal. Bo-
jor. I. 6 p. 374.
Edit. Cisner.*

*Panth. Part.
XVII. ap. Pi-
stor. T. II.
p. 507.*

p. 239.

d. I. p. 373.

p. 288.

d. p. 378.

in Chronico.
l. 7. c. 17.
d. I. lib. X. ad
an. 1115.

I. XI. ad an.
1137. in f.

GENSIS ABBAS non diffitetur, addenstantum, quod postea interueniente diuortio repudiata fuerit) quae longe lateque in Italia dominata est, amplissimumque patrimonium, et cum eo causas multarum litium reliquit, unde eidem AVENTINO primaria Italiae femina appellatur. Hanc autem Mathildam ante Lotharium non solum uixisse, sed et in uiuis esse desiisse, certum est. Nam Lotharium defuncto Henrico V. imperium adeptum A. C. c. 130 c. xxv. luculenter scribit OTTO FRISINGENSIS : Mathildam sub Henrico V. si non A. c. 105. quem expresse consignauit SIGONIVS, certe aliquot annis ante obitum Henrici uitam firuisse ex liti- bus constat, quae de testamento et hereditate Mathildae inter Henricum V. et Pontifices Romanos, Paschalem II. Gelasium II. et Calixtum II. cooptae, et agitatae, et ad successores transmissae fuerunt. Unde ipse SIGONIVS uel consentiendo cum VRSPERGENSI non potuit non eundem aper- tae falsitatis arguere, quod Lotharium atque Mathildam coniuxerit, quae multo ante Lotharii imperium e uita migraverit. Quibus rebus iam quidem cum FREHERO non contendam, qui in Epistola, quam operi Iuris Graeco-Romani Leunclauiano praemisit, ad Rudolphum II. Augustum magno studio scripta, uulgarem sententiam tueretur, quoniam non aliud fundamentum, quam constantem inter eruditos famam ostendere potuit: sed tantum illud miror, qui factum sit, ut doctissimus vir annum, quo Pandectae subLothario in di- reptione Amalitana repertae fuerint, a N. C. M CCCXXXVI. consignarit, qui non solum Lotharii omne uitae tempus, sed et Conradi successoris, et Fridericorum, et ipsius interregni tempora longe excedit.

Sed et amplius in ipsis legibus et textibus juris ex- plicandis Historia ad falsa redarguenda, et ueriora affe- renda, seu ad ea solidius explicanda, quae ab aliis leuiter uel sinistre tractata sunt, conduceit. Venit in mentem de- scriptio Senatusconsulti et explicatio, quam TRIBONIA- NVS dedit in §. 5. J. de I. N. G. et C. Ait Senatusconsultum esse, quod

quod senatus iubeat atque constituant. Nam cum auctor sit popu-
lus in eum modum, ut difficile esset in unum eum conuocari legis
fanciendae causa, aequum uisum esse, senatum uice populi consuli.
Ad haec interpres statum quendam Reipublicae Romanae
inter eum, quo leges a populo rogatae secundum §. praece-
4. fuerint, et eum, quo secundum §. sequentem 6. vi legis re-
gliae, a principibus latae fuerint, interiectum, configunt, istum
Democraticum, illum Monarchicum, hunc Aristocraticum ap-
pellantes. At enim uero, si THEOPHILI illius, quisquis
tandem fuit, in Graeca paraphrasi ad hunc locum sententia
ridenda est, referentis haec senatus consulta ad causam et tem-
pora plebiscitorum, quasi cum iis simul et eodem tempore,
agitata inter patres et plebem discordia, et secessione facta,
enata fuerint, et ideo senatus consulta appellata, quod a solo
senatu, sine consensu plebis, per se rem publicam gerentis,
condita fuerint: profecto nec illi multum laudis merentur,
qui ad proxime praecedentia principatum tempora referunt.
Nam ante principatum reipublicae Romanae regimen ex LI-
VIO et DIONYSIO constat semper Democraticum, aut si
quid amplius concedendum, ex Democratis et Aristocratis
mixtum fuisse, sic ut alio tempore patres, alio plebs praeua-
luerit, semperque senatus consulta facta fuerint, sed non eius
generis, cuius Tribonianus meminit, legibus speciatim dictis
principumque placitis uia effectu exaequata, temporis ue-
ro, quo condita, ratione ab iis distincta. Nam illa quidem
senatus consulta fiebant, cum populus rogatus id uoluisset,
et iussisset, quod Senatus censuisset, aut tamen alias fiebant uel
denegotii transactibus et singularibus, et rebus iam factis,
uel minimum sic, ut ultra annum non ualerent, nunquam ue-
ro in futurum populum in uim legis obligabant. At alterius
generis senatus consulta demum sub initium principatus Ro-
mani indulgentia priorum principum, in primis a Tiberio, au-
tore SVENTONIO, condita fuisse, ex Scriptoribus Historiae
Augustae passim, et fragmentis inscriptionis intelligi potest,
quae

*in uita Tibe-
rii, c. 30.*

*de formul. et
S. P. R.V. l. 2.
p. 154.*

quae de imperio Vespasiani in tabula aenea Romae in Basilica Lateranensi reperta est, et interalia, quae a BRISSONIO exhibentur, haec continet: VTIQVE EI SENATVM HABERE RELATIONEM FACERE REMITTERE SENATVS CONSVLTA PER RELATIONEM DISCESSIONEM QVE FACERE LICEAT ITA VTI LICVIT DIVO AVG TI IVLIO CAESARI AVG TI CLAVDIO CAESARI AVGUSTO GERMANICO. Vnde in Codice Theodosiano pariter atque Iustiniāneo non uetus tior lex apparat, quam a temporibus Hadriani, qui altero post N. C. saeculo imperauit: contra saepen numero SCtorum fit mentio, quae Consulū et Chronologiae ratio docet sub Imperatorib⁹ facta esse, itemque orationum principum, quibus aliquid introductum dicitur, etiam tum, cum alibi dictum SCto constitutum esse. Nempe mutata in dominatum republica, ne principis mox, ut olim regis, nomen odiosum fieret, maluerunt primi principes de rebus, quas fieri uellent, ad Senatum referre, quam absoluto omnia imperio regere, ut ex patrum magis auctoritate Senatus consultum condī, quam principis arbitrio lex poni uideretur, atque sic, dum nihilominus obtinerent, quod uellent, speciem aliquam reliquerunt ciuib⁹ et umbram, atque, ut TACITVS loquitur, quaedam uestigia morientis libertatis. Ipsum sane Augustum non multum a ueteri ritu et ratione ferendarum legum recessisse, sed leges condendas ad populum tulisse, atque omnibus iis, qui possent, emendandi fecisse potestatem, DIO CASSIVS auctor est fide dignus. Quo propius autem ad tempora Justiniani uentum est, eo liberius caeperunt leges a principibus condī, eoque magis uerum esse, quod Justinianus plus uno loco inculcat, legis habere uigorem, quod principi placuerit. Consimili ratione de Lege Regia, cujus modo mentio facta, genuina sententia non aliunde quam ex monumentis historicis erui potest. Vulgo Lex Regia pro una aliqua lege accipitur, qua, ut sic loquar, semel pro semper populus Romanus omne imperium et potestatem a se in principem transtulerit. Vnde iam anxie

de

*Annal. L. 1.
c. 74.*

*Histor. Rom.
l. 53.*

de tempore quaesitum est, quo condita illa lex uniuersalis et perpetua fuerit, aliis ad Octauii Augusti tempora, aliis ad J. Caesaris, aliis ad Vespasiani referentibus, aliis denique incredibili periodorum, quas Respublica Romana habuit, confusione ab ipsis Vrbis incunabulis et statu regio repetentibus. Sed fallunt omnes et falluntur, quotquot talen Legem Regiam intelligunt, qualis ne Triboniano quidem unquam in mentem uenisse uidetur. Neque enim si omnia historiae Romanae monumenta euaueris, talis Legis Regiae ullum uestigium repereris. Contra ea de Octauio, qui auctore TACITO, primus cuncta discordia ciuilibus fessa, nomine principis sub imperium accepit, ex DIONE, et XIPHILINO epitomatore, constat, eum imperium in decennium accepisse, ut rem publicam bellis ciuilibus confusam dilaceratamque repararet atque in ordinem redigeret, decennioque elapsu de deponendo imperio et restituendis Senatu prouinciis, quas sibi seruauat, actum, sed Senatu Populoque Romano, partim uero, partim simulatio studio, reclamantibus, prorogatum ipsi imperium in aliud decennium, et hoc elapsu in nouum, et sic porro ad finem uitae fuisse. Ex quo etiam illud factum laudati Auctores scribunt, ut qui deinceps Imperatores in perpetuum facti sint, decimo quoque anno diem festum celebrauerint, et sibi prorogaerint imperium. Neque etiam cum lege Regia, qua omnis potestas atque imperium a populo in principem translatum dicitur, si sub auspiciis imperii Augusti lata esset, congrueret ratio ferendarum legum, qua modo dictum est cum usum fuisse. Magis eorum sententia, qui Legem Regiam ad Vespasianum referunt, probanda uidetur, uel ob illam ipsam tabulam et inscriptionem, cuius supra mentionem feci. At si uerba tabulae inspicias, nescias quidem est negare, legem aliquam de imperio Vespasiani latam esse: sed nec regia appellatur, quod nomen adhuc tum odiosum erat, sed rogata: nec pro tali Lege Regia haberi potest, qualem ex communis sententia descripsi. Nam ad Vespasianum restricta est, ut sic perpetua esse non possit: et in definienda eius potestate continuo ad priores Imperatores se refert, ut sic prima non esse: nec absolutam potestatem ei concedit, sed limitatam atque restrictam, ut dici non possit omne imperium et potestatem a populo in principem trans-tulisse. Itaque ergo cum monumenta Historica de Legi Regia silent, et potius, quae ei contraria sunt, contineant, puto ego, non solum nunquam talen L. Regiam, qualem communis opinio habet, latam esse, uniuersalem et in perpetuum validitaram, sed ne quidem ab Imperatore intelligi, uerum per L. Regiam

Annal. I. 8.

c. 1.

L. 58.

ap. Sylburg.

T. III p. 193.

indicari nihil aliud, quam pactum illud, seu expressum, seu tacitum, quod cum
quolibet novo Imperatore expresse, uti quondam cum Vespasiano, uel tacite,
ut cum prioribus, initum, et hodierno stylo Capitulatio Caesarea appellatur.
In qua sententia confirmor, quando ipsa uerba Tribonianii attentius lego, qui
non dicit, quod principi placuit, legis habere uigorem, *quam L. Regia populus R. principi et in principem omne imperium suum et potestatem concesserit*, sed ait: *quam L. Regia, quae de eius imperio late est, populus ei et in eum omne imperium suum et potestatem concedat.* Illud modo addendum, accipiendam uim L. Regiae pro temporum ratione, quibus condita sit, nec principio tantum potestatis Imperatoribus Romanis jure competitissime, quantum postea, quo magis ad Justiniani aeuum deuentum est, atque adeo conditionem L. Regiae et effectum, quem Tribonianus expressit, temporum rationi, ut ipsum nomen, adscribendum esse, quod uerisimile est Tribonianum primum usurpare. Non patitur angustia spatii in Institutionibus longius, aut ab his ad Pandectas et Codicem progredi. Sed nec tamen possum mihi temperare, quin de quibus generatim dictum, SCtis, ex iis speciatim de SCto Tertulliano aliqua addam, de quo libro III. Institutionum, et XXXVIII. D. agitur. Non enim satis mirari possum, qui factum sit, quod FORSTERVS, doctissimus JCtus, et qui ex instituto originem Juris Romani ex fontibus Historicis deducere aggressus est, illud SCtum Tertulliano, Scriptori Ecclesiastico, eidemque Consuli Romano, adscriperit. Nam ut taceam, SCtum si a Tertulliano factum fuisset, non Tertullianum, sed Tertullianum uocatum esse: ipsa uera Historiae monumenta et temporum ratio atque conditio reclamat. Tertullianus enim ille, presbyter Romanus, teste HIERONYMO atque TRITHEMIO maxime sub Seuero et Caracalla Imperatoribus floruit, quo tempore quis crederet Romae hominem Christianum ad consulis dignitatem electum esse? Sed nec fasti Capitolini sub istis Imperatoribus Tertulliani meminerunt: contra alicuius Tertulli sub eodem Seuero, et alterius Tertulli supra sub Antonino Pio mentionem faciunt. Nam licet eadem praenomina gerant, tamen non uidentur unus idemque esse Tertullus, quoniam non solum inter utrumque consulatum ferme quadraginta anni intercedunt, sed et posterior consulatus non est secundo numero, ut alibi, consignatus. ALSTEDIVS id SCtum Tertulliano JCto adscripsit, quem sub Seuero floruisse ait. Sed et hoc parum accurate dictum. Quamuis enim Tertulliani cuiusdam JCti mentio etiam in Jure nostro fiat, tamen, quia idem in lege 3. C. de curat. furios. iuris antiqui interpres dicitur, et librum singularem de castrensi peculio condidisse, quod fere temporibus Augusti et priorum Imperatorum notum fieri coepit, uerosimilius

Histor. Jur.
Rom. l.2. c.72.
n. 6.

Catal.
Script. Ecc.
c. 53.
de S.E.
Op. P. I. p. 195.

Thebaur.
Chronol.
p. 458.

milius est, eum ante Seuerum saeculo iam I. uixisse: nec ideo recte pro
auctore SCti habetur, quod non Tertullianum, sed Tertullianum facere po-
tuit, et SCta non a lCtis, sed a Consulibus nomina acceperunt. Quae cauſa est,
quare nec alii lCto, qui proprius accedente ad rem nomine Quinius Tertullus
dictus, SCtum tribui possit, quem Seueri tempore uixisse uel ex. l. i. §. 3. II. ad
SCt. Tertull. conſtat, in qua ad eum Imperator et Diuus Pater reſcripsiſſe di-
cuntur, per quorum alterum Caracallam filium, alterum Seuerum patrem in-
telligendum esse, ex auctore legis, VLPIANO colligitur, quem certum est sub
Ant. Bass. Caracalla floruisse. Quare ſatius uidetur SCtum Tertullianum
ad aliquem ex illis Tertullis Consulibus referre: ſed ad quem referemus?
Puto ad priorem, qui ſub Antonino uixit, referendum eſſe, propter locum
ZONARAE, ſcribentis de Antonino Pio: τέττας λέγεται νομοθέτης εἶναι,
τὸ τῶν τέκνων αἰδιαθέτων τελευτώντων κληρονόμος ἀναφένεται ταῦ
γονεῖς. Eius dicitur lex eſſe, ut liberorum interſtitorum mortuorum here-
des ſint parentes. Nam cautum eſt SCto Tertulliano, ut matres ad liberorum
ſucceſſionem ab intestato admittantur. Nec me mouet, quod Tribonianus
in §. 2. I. d. SCt. Tertull. hoc SCtum Diuī Hadriani temporibus factum eſſe
ait. Nam fasti Consulares nullum Tertullum ſub Hadriano habent, et hoc
eſt, quod dixi, etiam Romanos lCtos ſaepē lapsos in capitibus Historicis, et
textus juris ex historia explicandos et emendandos eſſe; niſi existimare uelis,
nomine Hadriani iſpum Antoninum indicari, quem ab Hadriano adoptatum
ex DIONE, et uel ipſo illo ZONARA conſtat, itemque Hadriani nomen
geſiſſe ex fastis liquet, quibus plus ſimplice uice Imp. Caesar T. Aelius
Hadr. Anton. Pius inter consules conſpicitur. Nec me a ſententia di-
mouet, quod in Pandectis Florentinis SCtum non Tertullianum, ſed
Tertyllianum legitur, ut ectypum accuratum Florentiae MDLIII. impre-
ſum ostendit. Nam unius literae uariatio totum nomen et rem mu-
tare non ualeat. Nec denique ualde commoueor loco CAPITO-
LINI, in uita Marci Antonini Philosophi, Antonini Pi successoris, recensentis
inter adulteros Faustinae, M. Antonini uxor, Tertullum atque Orphitum hiſ
memorabilibus circumstantiis, quod Tertullum etiam prandentem cum uxo-
re Antoninus deprehenderit, et minus aliquando, praefente Antonino, cum
ſtupidus nomen adulteri uxor a ſeruo quaereret, et ille ter diceret Tullus, et
adhuc ſtupidus quaereret, responderit, iam dixi ter, Tullus dicitur. Nam licet
CAPITOLINVS Tertullum atque Orphitum inter adulteros conjungat, et
Antoninum incusat, quod utrumque ad uarios honores promouerit, et in

Annal.
Tom. II.

Pandectis, titulo ad SCtum Tertullianum et Orphitanum utrumque SCtum coniunctum reperiatur, ut adeo ambo SCta non ad Antoninum Pium, sed M. Antoninum Philosophum referenda videantur: tamen salua res est, quia alius potuit hicce Tertillus esse, aut si idem fuit, qui SCtum Tertullianum fecit, potuit sub Antonino Pio consul fuisse, et a Marco Antonino ad alias honores promotus esse; maxime cum in factis sub Marco Antonino nullus consul Tertillus, bene tamen Orphitus consul deprehendatur, nec SCta Tertullianum atque Orphitanum propter originem, sed propter tenorem coniungi potuerint, quoniam ut altero matres ad successionem liberorum, sic altero liberi ad successionem matrum admittuntur, maxime cum in Institutionibus a Triboniano separatis titulis proposita sint, et alterum, ut iam dictum, ad Hadriani tempora relatum, alterum conceptis uerbis diu Marci temporibus Orphitio et Rufo consulibus effectum dicatur.

pr. I. d. SCt.
Orphit.

Neque uero solius Romanae Historiae cognitione etiam priuati iuris Doctor opus habet, sed et domesticae, ad explicationem domestici seu patrui juris, in primis in Germania nostra, in qua cum in Suetico Saxonicoque speculo, tum in Recessibus Imperii publica jura priuatis mixta sunt, immo tot gentium aliarum, quot iura exotica tractanda habet, in primisque apud nos historiae Pontificiae, propter jus Canonicum, quod non modicam etiam in nostris foris auctoritatem obtinuit. Quae cum ita sint, Committones, ut iurisprudentia sine historia esse non posse videatur, agite, ut quod haec tenus fecimus, id quoque in posterum operam demus, ut inhaerendo juri historiam non negligamus. Quare lectionibus publicis ad HOPPII examen Institutionum diebus Lunae, Martis, Iouis atque Veneris ab hora I.pom. ad II. habendis et sedulo continuandis, die Mercurii atque Sabbathi eadem hora intermissionibus continuationem prolegomenorum historicorum, quae de generalibus capitibus Geographiae, Chronologiae, Genealogiae, Heraldices, Mythologiae, Rei Numiae, Monarchiarum in genere, et similibus, ordine a uocabulo historiae ad specialem cum uniuersalitatem, tum particularis cuiusvis imperii ac reipublicae historiae, tractationem deductis, concepimus. Priuatis autem scholis praeter eos labores, quos una uel altera hora nonnulli eximii atque industrii Ituuenes sibi sagulis experierunt, in explicandis Pandectis ad ducentum Lauterbachii ab hora IX. ad X. strenue progrediemur, omnibus adeundi potestate facta, quibus non graue est candem cum aliis legem inire, additaque promissione propediem horam alteram adjiciendi. Valete, COMMITTONES, et fauete. Scribebam Vitembergae, V. Kal. Iun. A. R. S. cibis XII.

LITERIS KOBERSTEINIANIS

VD 18

Wittenberg, Diss., 1712 A-H



TA-7 Ol nr 1500

No: 830a

19

13

Q. D. B. V. 1712

A. M. A.

CONSENSV
ILLVSTRIS ORDINIS
JCTORVM,
GENEROSSIIMIS AC NOBILISSIMIS
CIVIBVS ACADEMICIS
MORE PER MANVS TRADITO
SVB AVSPICIS
PROFESSIONIS IVRIS
EXTRAORDINARIAE,
LECTIONES PVBLICAS PRIVATASQVE SIGNIFICAT.
ET
DE VSV HISTORIAE IN IVRIS PRUDENTIA
PRIVATA
BREVITER DISSESTIT
IO. GODOFR. HARTVNGIVS,
IVRIVM LICENTIAT. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.

